

post Antichristi persecutionem, priusquam manifesta finalis iudicii signa compareant, breve interponendum fore temporis spatium, in quo homines, se ab impietatis monstro deceptos, seductosque esse dignoscere possint, juxta alium Apocalypseo, vii, 1, textum: *Factum est silentium in celo, quasi media hora*: « Istud enim tempus, » inquit Lyranus, « non durabit, ut dicunt, nisi per quadraginta dies, vel circiter, et hoc est, quod dicitur hic: *Statim autem*, etc. Id est, parvo tempore elapso post Antichristi tribulationem, apparebunt signa manifestata iudicii. »

*Sol obscurabitur.*

2. — Lyranus lucem soli minime subtractam iri existimat, utpote naturalem ei, quae corpora caelestia, inquit ille: « Manebunt in sua natura integra, sed ista obscurata erit respectu nostri, » per interpositionem alicujus corporis opaci, ut fit « in eclipsi. »

3. — Auctor Imperfecti similitudinem adducit patrisfamilias, in cujus morte omnes domestici lugubribus vestiuntur: « Omnis, » inquit, « familia plangit et concessis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis, sic et humano genere, propter quod fuerunt omnia creata, circa exitum constituta, totus contristatur mundus, universa caeli ministeria laugent et candore deposito pro vestibus, luctuosae tenebris vestiuntur. »

4. — Theophylactus gloriosissimam Christi humanitatem adeo rutilantem fore existimat, ut in comparatione ejus sol putandus futurus sit obscuratus: « Non disparsens, » inquit, « sed superatus lumine adventus Christi, quemadmodum et stellae et luna; quid enim praeterea opus erit hujusmodi sensibili lumine, cum non erit nox, sed apparebit Sol justitiae. » Christus scilicet, qui de ipso dicit: *Ego sum lux mundi*; deque gloriosis caeli civibus scribitur: *Fulgebunt justi sicut sol*; quanto autem eminentior erit veri justitiae Solis splendor, de cujus claritate omnes participabunt animae et corpora beatorum?

5. — Possumus quoque, si libet, proxime sequentia ad verba eos reflectere, postquam enim Christus dixisset: *Sol obscurabitur, luna, etc.*, subiungit illico: *Tunc parebit signum Filii hominis in celo*; crux enim Christi adeo videbitur corusca et fulgida, ut omnium obscurata sit luminum caelestium splendorem; unde Chrysostomus, *Hom. lxxvii in Matth.*, ait: « Crux sole fulgentior videbitur, obscuratur enim sol, crux autem apparet, quod fieri non possit, nisi solares radios splendore superaret. »

6. — S. Anselmus verba illa in sensu spiritali, de Praelatis Ecclesiasticis, in persecutione extrema defecturis, explicat, dicens: « Id est, quidam majores et minores Praelati in Ecclesia, qui alios illuminabant et qui videbantur stellae, id est, dono

« divinae gratiae fulgere in domo Dei, de celo, id est, de Ecclesia cadent, privati lumine suo. »

*Et luna non dabit lumen suum.*

7. — Rabanus a S. Thoma in *Cateca* citatus, non improbabile esse censet, omnibus caeli planetis ad tempus lucem sufferendam fore; unde ait: « Nihil prohibet intelligi veraciter, tunc solem et lunam cum caeteris sideribus ad tempus suo lumine privari, sicut de sole factum constat, tempore dominicae passionis. »

8. — Juxta Lyranum privatio luminis lunae dupliciter accidere potest, scilicet vel per interpositionem terrae et solis, vi cujus pars illa lunae, quae terram respicit, obscuratur, nullam a sole recipiens lucem, vel per interpositionem nubium.

*Et stellae cadunt de celo.*

9. — S. Thomas in Matthaeum verba haec litteraliter adimpleri posse negat, cum multe sint stellae totae terra majores; citatque Rabani auctoritatem, ita in S. Marcum scribentis: « Stellae caeli erunt decedentes, id est, in lumine minoratae; » at inquit S. Thomas: « Unde ista quod lumen alicujus luminaris minoratur, vel in seipso, vel per interpositionem aliquid, ut si nubes interponatur, ut cum eclipsatur luna, minuitur lumen ejus; unde dicit Origenes, quod dupliciter potest intelligi: « primo, quod hoc interpositum erit ignis, qui ante Christum praecedet et consumet omnia usque ad medium spatium aeris, quantum scilicet elevarie sunt aquae diluvii; quem ignem sequetur multus fumus; ita quod tenebrabunt luminaria caeli; vel potest dici, quod quidam tenebant, ista corpora esse corruptibilia, et sicut elementa immutabuntur, ita et ista; » utiturque hoc Apocalypseo, vi, 12, textu: *Sol factus est niger tanquam saecus cilicinus, et luna tota est facta sicut sanguis, et stellae de celo ceciderunt super terram.*

10. — Cajetanus ait: « Casum earum intelligo, esse casum a lucendo; » Albertus Magnus pariter scribit: « Non casu corporali, sed potius quo ad effectum in his, quae generantur. » Lyranus nihilominus hunc casum non realem, sed apparentem fore existimans, inquit: « Stella cadent de celo, non quantum ad earum substantiam, cum sint incorruptibiles, sed secundum apparentiam, quia verae stellae absconduntur per nubium densitatem et de nubibus versus terram descendant exhalationes ignitae, quae dicuntur stellae cadentes. »

*Et virtutes caelorum commovebuntur.*

11. — Cajetanus per has colorum virtutes, a suis operationibus destitutas intelligit influentias, dicens: « Vires seu potestates corporum caelestium; mutabuntur enim a solitis actionibus. »

12. — S. Thomas ait: « Id est, virtutes quae Deo ministrant, » citatque S. Augustinum, dicentem: « Quod omnia corpora administrantur per spiritum vite, unde dicuntur moveri in effectu, quia in adventu Domini cessabit motus caeli; unde illa dicuntur moveri, quando illa, quae ad summum officium pertinent, in alium statum mutantur. »

13. — Hugo Cardinalis verba illa de Angelicis potestatibus interpretatur, conformiter euidam D. Chrysostomi testimonio, sequentem adducens similitudinem: « Si quando rex terrenus exit in expeditionem, tota civitas fervet, exercitus excitatur, quanto magis Rege caelesti exurgente judicare vivos et mortuos, virtutes Angelicae commovebuntur? » Lyranus pariter, per eas virtutes, Angelos intelligit, dicens: « Qui sunt de medio ordine secundae hierarchiae, ad quorum officium spectat, cooperari aliquo modo ad miracula, secundum quod dicit beatus Dionysius, et ipsi tunc frequentius solito movebuntur, ex divina voluntate, ad faciendum miraculosas transmutationes in elementis, ad incutiendum hominibus terrorem Judicis venientis. » Rabanus, ab Alberto Magno citatus, de commotione explicat spirituum Angelicorum, qui se nobis ad incutiendum terrorem sistent: « *Commovebuntur*, id est, » inquit, « *timebunt*, hoc est, considerato terrore Judicis, ad motum timentium se habebunt; aut reverentiae mota movebuntur ad gloriam Judicis. » Expressius tamen venerabilis Beda inquit: « Hoc est, Angelice tremet Potestates. »

14. — In sensu mystico idem Sanctus inquit: « Ecclesia est sol, et luna, et stella; cui dictum est: *Speciosa ut luna, electa ut sol*, quia tunc non apparebit impiis persecutoribus, ultra modum saevientibus. »

15. — Anselmus in iis virtutibus, nostros dicit designari Angelos custodes: « Id est, Angeli movebuntur iudicio hominum futuro, quorum custodie deputati sunt. B. Job, xvi, 11, attestante, qui ait: *Columnae caeli contremiscent et pavent adventum ejus.* »

16. — Venerabilis denique Beda in hac commotione, multorum considerat casum, qui hic in terra sancti appareant, inquiens: « Quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, per sequentibus impiis cadent et firmissimi turbabuntur. »

VERSUS 30.

*Et tunc parebit signum Filii hominis in celo, et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate.*

*Et tunc parebit signum Filii hominis in celo.*

1. — Lyranus hujus signi qualitatem explicat,

dicens: « Id est, crux, clavi, lancea, quae sunt passionis Christi instrumenta, vel cicatrices, quae apparebunt in Christi corpore, apparebunt in celo, id est, in aere, qui aliquando vocatur caelum in Scriptura; » juxta quod et sancta Ecclesia canit: « Hoc signum crucis erit in celo, cum Dominus ad judicandum venerit; » sublimis in throno, inque tribunalis residens ad promulgandas sententias inappellabiles et exercendam supremam et independentem Principi soli propriam jurisdictionem; talis erit suprema illa Majestas Filii hominis, *Joan.*, v, 22: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*; patibuli et crucifixionis ejus meritum mercedem, quemadmodum Angelicus Doctor pluribus in locis docet, inquiens: « Potestas judicaria Christo homini collata est in premium humilitatis, quam in passione exhibuit. » Et in opusculo II, cap. cxxlv, praedicta verba: *Ubiunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*, explicans dicit: « Per eas significatur Sancti; signanter autem loco corporis in Hebraeo Joathan dicitur, secundum Hieronymum, quod cadaver significat, ad commemorandum Christi passionem, per quam Christus et potestatem judicariam promeruit, et homines conformati passioni ejus, ad societatem gloriae ipsius assumuntur; » pergit deinde ostendere, Christum de celo descensurum, ut eo in loco tribunal locet, ubi ipse iudicatus et condemnatus fuit: « Circa locum dominicae passionis, » ait, « creditur Christus ad iudicium descensus, » id quod ex Joele, iii, 2, deductum esse videtur, ubi dicit: *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi*; quae vallis monti adhaeret Oliveti, ubi Redemptor passionem suam exorsus est. In eodem porro loco S. Thomas prosequitur, dicens: « Tunc apparebit signum Filii hominis in celo, ut impii, videntes in quem confixerunt, dolent et crucientur; et ii, qui redempti sunt, gaudent de gloria Redemptoris. » S. Bonaventura, *Serm. iv in hac Dom.*, quoque Christum eo ad iudicium descensurum existimat, unde ascendit in caelum: « Ante eum instrumenta mortis, quasi vexilla triumphi, crux, clavi, lancea et cicatrices; non erit tunc necessitas accusationis, cum viderit crucem et Christum habentem in corpore suo testimonia passionis; his signis convincentur impii magnae ingratitudinis. »

2. — Auctor Imperfecti, non apparituram in iudicio crucem existimans, dicit: « Quidam putant crucem Christi ostendendam esse, in corpore suo habentem testimonia passionis, id est, vulnera lanceae et clavorum; ut impleatur quod dictum est: *Et videbant, in quem pupugerunt.* » Salmeron in hujus difficultatis examine, illa Ecclesiae verba: « Hoc signum crucis erit in celo, » discutiens, ait: « Apparebit in celo, ut notetur, celum merito

« crucis possideri, » quæ electorum quidem triumphalis currus erit, ad reproborum signum, ad fovendum inextinguibilem inferni ignem; docet autem idem auctor, crucem illam diversam fore ab ea, in qua passus est Redemptor: « Et crux, » inquit, « quæ ex elementorum materia constabat, » sole ipso jucundior ac fulgentior bonis apparebit; » plurimum deinde sacrorum Doctorum citat opiniones, diversa alia passionis insignia, in judicio simul comparitura, commemorantium, columnam scilicet, ad quam Christus ligatus et excarnificatus fuit, flagella, coronam spineam, clavos, spongiam, arundinem, qua caput ejus percussus est, lanceam et reliqua omnia suppliciorum ejus instrumenta. Tandem vero ejusdem subjungit opinionem, censentis, electorum frontes signo crucis insigniendas fore; juxta illud Ezechielis, ix, 4, textum: *Signa Thau super frontes vivorum gentium;* et Apoc., vii, 3: *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

3. — De tempore autem, in quo signum illud apparebit, idem Salmeron ita scribit: « Vel veniet simul tempore cum Judice, vel ut alii sentiunt, » tempore obscurationis luminarium in edito aeris « loco apparebit, quo ab omnibus cerni possit, erit, » quo extensum super nos per aliquot dies et noctes, « et post desinet apparere, et rursus, veniente Christo, ut vexillum præcedet ante eum. »

4. — In tribus Sacræ Scripturæ locis, idem quasi scriptum ita reperimus, de hoc Redemptoris ad judicium adventu, in figura crucifixi, seu cum signis redemptionis nostræ; in Zacharia enim, xii, 10, dicitur: *Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent.* S. Joannes etiam, xix, 37, postquam passionem ejus, specialiter ictum lanceæ, recensisset, subjungit: *Alia scriptura dicit: videbunt in quem transfecerunt;* denique in Apocalypsi, i, 7, idem Joannes ait: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Septuaginta in textu Zachariæ legunt: *Insultaverunt.* Hebræi illum præcedentibus hisce insignis regis, tanquam Paradisi Monarcham, in tanta majestate videbunt descendentem, ut illos condemnet, qui illum quondam tot indignis modis contempserant et illuserant; et quidem hæc Judicis in hac forma comparitio, ut Albertus Magnus ait, in maximum cadet impiorum tormentum: « Hoc erit eis magna pœna; unde Glossa ait: Hoc fiet, ut magis crucientur, » et notandum, quod Propheta dicit: « *Plangent se super eam;* non enim dicit: *Plangent se,* sed *super eam,* » id est, propter eum, scilicet quia eum crucifixerunt. » S. Thomas, vel quisquis auctor est commentarii in caput I Apocalypseo, ait: « Ad « confusionem eorum, qui Dominum crucifixerunt « manu vel consilio, subdit: *Et qui eum pupugerunt, « videbunt eum ad cumulum pœnæ;* » attamen idem

Angelicus Doctor dubium quoddam subdit, nimirum, quomodo sacratissima Christi humanitas gloriosa et excessiva pulchritudine conspicua, ab impiis videri possit, cum Isaia, xxvi, 10, juxta aliam quamdam versionem dicitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei;* et respondet: « Omnes tam « boni quam mali videbunt ipsum in humanitate « glorificata, et ut ille aspectus sit bonis ad consolationem, malis ad confusionem et afflictionem, « quia tam dulci amatori et tam largo remunerationi ingrati fuerunt, ut ejus jussa fugerent; » citatque S. Isidorum, *lib. I de summo bono,* ita scribentem: « In judicio reprobi humanitatem « Christi, videbunt, ut doleant, divinitatem vero « ejus non videbunt, non gaudeant; quibus enim « ostenditur, usque ad gaudium demonstratur; » et ideo S. Thomas ultra progreditur dicendo: « Illa pulchritudo non erit eis delectabilis, quia « excellens luminosus obscurat infimum oculum « et gravat, illuminat autem sanum et oblectat, sic « luminositas corporis dominici, obscura et terribilis erit reprobis et delectabilis electis. »

#### Et tunc plangent.

5. — S. Thomas in hunc S. Matthæi textum scribens, planctus hujus rationem hisce verbis reddit: « Videntes tantam Christi potestatem, « quam despererunt, et tantam sapientiam, cui « non obediunt, et tantam claritatem Sancto- « rum; unde dicant illud quod dicitur Sapientie « cap. v, 3: *Hæ sunt, quos habuimus aliquando in « derisum;* » idem quoque Angelicus Doctor, vel quisque auctor est in Apocalypsin, ait: « *Plangent,* « quia offenderunt, et quia se separari ab ejus et « suorum consortio electorum videbunt. » S. Joannes, in Apocalypsi, de hujus Judicis adventu tractans, dicit: *Plangent se super eum omnes tribus terræ;* de quoniam autem planctu id intelligendum sit, Cajetanus his verbis declarat: « *Plangent* « non ponitendo sed tristes redditi, quia certi jam « sunt, expectantes propriam damnationem; » adeoque planctus hic planetui Esau similis erit. S. Augustinus ait: « *Plangent,* videntes accusatorem « suum, id est, ipsam crucem, et in ipso arguente, « cognoscent peccatum suum, et frustra fatebuntur « impiam cæcitate. » Albertus Magnus, in Lucam scribens, planetum hunc remorsui male conscientie tribuit, qua reprobi inconsolabiliter infestabuntur: « Unusquisque se ipsum plangit, accusante conscientia. » Chrysostomus autem, *Hom. LXXVII in Matth.*, duo alia hujus planctus considerabilia motiva adducit, dicens: « *Plangent,* quia ex morte « ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem « adorare oportebat, contempserunt. »

#### Omnes tribus terræ.

6. — Illi præcipue lacrymabuntur tunc et dole-

bunt, qui terræ et rebus terrenis nimis tenaciter adhaeserint, adeo ut cor et oculos suos semel cælum versus erexerint. Unde S. Anselmus ait: « *Omnes « tribus terræ;* id est, terrenorum, non cælestium, « quos parva conscientia non torquet. » Albertus Magnus pariter super hæc verba S. Matthæi: *Omnes tribus terræ,* dicit: « Hoc est, qui in cælo nullum « habent municipatum, quibus non est dictum: « *Vado parare vobis locum;* » illi vero, qui in hac præsentia vita bonis nimium dediti fuere terrenis, plangent se, quia ad cælum non admittentur, sed ad centrum terræ condemnabuntur, æternaliter ibidem cruciandi. Idem Auctor super illa verba Apocalypsis, *tribus terræ,* dicit: « Id est, omnes qui « magis dilexerunt terram quam cælum. » S. Thomas pariter dicit: « Id est, omnes nationes « hominum, qui dilexerunt terram. »

7. — Idem S. Doctor super eundem Apocalypseo textum, verba hæc S. Matthæi citans, advertit aliam literam legere: « *Collident,* quia confringentur sicut olla fictilis a lapide quando ei colliditur, » quisquis ergo, dum vixit, oculos suos in terram, non vero in cælum declinavit, in terra in perpetuum reclusus manebit: *Tanquam vas ficti collinget eos,* inquit Palles, *Psal. II, 9,* quia reproborum corpora velut testæ ex olla fracta residue in ignem infernale projiciuntur. S. Bernardus in quodam sermone dicit, mirum non esse quod homo naturaliter ad hæc bona terrena animo affligitur: « Non enim sine causa dictum est, homini nam plasmatum non de terra qualibet, sed de limo; » limus autem genus quoddam lutu est quod facilius adhaerescit; ac proinde cum *omne simile appetat sibi simile,* argentum autem et aurum nihil aliud sit quam terra, quid mirum, si tenaciter adeo homini limo adhaerescat? at pessimum est, quod cum hæc metalla ex profundissimis terræ visceribus, inferno quasi quicquid eruantur, nos cælum amittere faciant, ut proinde Deus per Habacuc, II, 6, comminetur: *Væ ei, qui multiplicat non sua, usquequo, et aggravat contra se densum lutum.*

#### Et videbunt.

8. — S. Thomas hoc loco quærit? Sed qui videbunt? omnes homines. » Notat tamen inter electos et reprobos hanc differentiam, quod quia *Judex,* qui ad judicandum venerit, « habet naturam humanam « et divinam, secundum divinam non videbitur nisi « mundi corde, » secundum illud, *Matth., v, 8:* *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* sed secundum humanam naturam, videbunt eum etiam mali.

9. — Idem quoque Sanctus hanc movet difficultatem, an scilicet hic *Judex* in vultu glorioso tam ab electis quam a reprobis videndus sit, et respondet affirmative, adducitque textum illum Isaia, *XXXVII, 10,* ubi disputans Dominus cum Propheta

dicit: « *Non videbit gloriam Domini, et respondit « Propheta: Domine, exaltet manus tua ut non « videant;* cui respondet Dominus: *Videant et « confundantur;* unde boni videbant ad lætitiæ, « mali ad cruciatum et tristitiam; quando enim « aliquis timet puniri, quanto magis potestas judicis eis contra ipsum appareat major magis affligitur; « sic quæto Christus apparebit gloriosior, tanto « magis cruciabitur mali. »

#### Venientem in nubibus.

10. — Idem Angelicus Doctor duas considerat nubium conditiones, quas Christo Judici adaptans dicit: « Nubes habent obscuritatem et quando « spissa est, est terribilis propter fulguram et pluvias, quæ ex nubibus oriuntur, et hoc convenit « terrori impiorum, *Psal. xcvi, 2: Nubes et caligo « in circuitu ejus;* item competit quod in nubibus « veniat, ad designandum divinitatem Christi, quia: « *Majestas Dei apparuit in nube; Exod., xvi, 10:* « Unde dicitur, *III Reg., VIII, 12: Dicit Dominus, « quod habitaret in nebulo;* » deinde etiam nubem sacratissime Christi humanitatis expressam esse docet, unde gloriosissimo ejus corpori, in celos conscendenti, prout in festo Ascensionis legitur, nubes in occursum ipsius preparata fuit: *Videbuntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum,* ad hæc et Angelici coetus insonuere, dicentes: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, ita veniet, quibus subdit S. Thomas: « Ut ergo « ostendatur, quod sit ille idem, qui in nube suble- « tus est, apparebit in nubibus. » Denique aliud futurae nubis motivum adducit, scilicet ad ostendam gloriosi Christi corporis majestatem: « Com- « petit etiam ad significandum glorificationem, « quando enim transfiguratus est, apparuit nubes « lucida, et tunc fuit una, sed tunc erant plures, « quia tunc solum tribus apparuit, sed tunc pluri- « bus apparebit. »*

11. — At quæret fortasse quispiam, an nubes illæ ex vaporibus et exhalationibus terrestribus condensabuntur, sicut aliæ, quæ naturaliter in aere efformantur, ratio autem debet esse potest, quia tunc influxus cælestes cessabunt, respondet itaque idem Sanctus: « Non erunt nisi quædam « claritates, redundantes ex corpore Christi et aliorum Sanctorum; » utiturque Origenis testimonio, unde sequentia desumpsit verba: « Origenes dicit, « quod erunt Angeli, non solum intelligibiles, sed « veraciter ministrantes. » Idem quoque Angelicus, aut quisquis illi in Apocalypsin interpres, inquit: « Cum nubibus, id est, cum Sanctis, qui plunt « per predicationem, coruscant per miraculorum « operationem, elevati sunt per mundanorum abdicationem, volant per altam contemplationem. » Comparebit porro *Judex,* totius cælestis curiæ stipatus obsequio, ideoque subjungit:

## Cum virtute multa et majestate.

**12.** — Idem S. Thomas primum Filii Dei in mundum adventum ponderans, ait : « In primo adventu duo fuerunt : habuit enim infirmitatem et ignominiam ; infirmitatem, quia dicit Apostolus, *II Cor., xii, 4 : Crucifixus est ex infirmitate ;* ignominiam, secundum quod habetur, *Isa., lvi, 14 : Obstupuerunt super te multi ; sic inglorius erit super viros aspectus ejus, ac forma ejus inter filios hominum.* » Ad recompensandam igitur primi adventus infamiam, de secundo praeclit : « Cum virtute multa et majestate ; consequenter ad haec duo dicit ; ad infirmitatem ponit virtutem ; unde ista dicitur : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, et haec data est ei per generationem, in quantum Filius Dei, sed ipse promeruit in quantum homo, et hoc manifestabitur quando omnes Angeli et omnia elementa ministrabunt ei ; item contra ignominiam dicit, quod veniet in majestate, quasi Index vivorum et mortuorum.* »

## Additio.

**a.** — Tunc apparebit signum Filii hominis. Super his verbis sic fatur S. Chrysologus : « Cujus autem rei gratia istud signum appareat ? Ut in magno cumulo Iudeorum impudentia opprimatur. Crucem in suam justificationem secum habens, in iudicium veniet. Non vulnera enim solum, sed etiam acerbum et ignominiosum mortis suae genus ostendens. Tunc plangent tribus ; non enim accusantibus opus erit, cum crucem viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum quem adorare oportebat contempserunt. » Supplicium enim eorum quod reincident in peccata, ob gravissimam ingratitudinem notabiliter augetur. Cardinalis Toletus sic ait : « Post peccatum exspectat Deus ad penitentiam, et magna misericordia. Quando ergo iterum peccat, idem repetendo, aut simile committendo peccatum, eo gravior est culpa quo qui peccat, Dei misericordia, ad penitentiam expectantis et invitantis, magis abutitur ; et multo gravior est, si praecedentis peccati obtinuerat remissionem et iterum peccat ; et adhuc gravior, si admonitus et correctus a Deo respuit. » Postquam Salvator suam erga paralyticum illum exhibuisset benignitatem, eumdem monuit dicens : *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat ;* ubi S. Bonaventura, ad vocem *deterius* se reflectens, inquit : « Merito deterius contingit tali ob majorem ingratificationem et inexcusabilitatem. » S. Chrysostomus, in *Hom. 1 in Act. Apost.*, rationem assignat cur recidivus relabitur ; ait enim : « Ideo namque postea quam acceperimus, socordes sumus, quod priusquam acceperimus non vigilaverimus. Ideo complures, postquam acceperunt,

« profutius redierunt ad priorem vomitum, redditi « deteriores, gravior supplicium sibi acceperunt, « eo quod a prioribus peccatis liberati, hoc pacto « etiam gravioris iudicis iram in se provocarunt, « dum tanto liberati in morbo, nec sic quidem ad « sanitatem mentis converti poterint. Quin illud « potius illis usvenit, quod paralytico comminabatur Dominus, dicens : *Eece sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius eveniat.* Idem « quod Iudeis praedicabat, ostendens quod illos ob « ingratitudinem immedicabilia manerent mala : « *Si non venissem, et locutus fuisset, peccatum non haberent.* Itaque posthaec dupla et quadrupla « peccata sunt. Qui sic ? Quoniam post exhibitam « nobis dignationem, ingrati sumus et improbi. « Quapropter nihil nobis proficit lavacrum, ad hoc « ut mitius puniamur. »

## VERSUS 31.

*Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos a quatuor vocis, a summis caelorum usque ad terminos eorum.*

## Et mittet Angelos suos.

**1.** — In parabola de zizaniis, *Matth., xiii, 30*, eadem a patrefamilias, Christi figurative, verba proferri audimus ; scilicet : *In tempore messis, dicam messoribus ;* ubi Lyranus inquit : « Id est, iudicii ; *dicam messoribus, id est, Angelis ;* qui zizania a frumento separabunt, dum hoc in caelum transferent, illa vero in focum infernale exturbaturi sunt ; unde Chrysostomus, *Hom. XLVII in Matth.*, ait : « Sicut ministrant nobis in procuranda salute nostra, ita etiam in remuneratione accipienda, et « in malos ac reprobos, divini iudicii sententiam « exequentur. » — « Congruum est, » inquit Albertus in *Lucam*, « ut quos habuerunt duces « vie, habeant etiam collectores cinerum et pro- « ductores ad iudicium ; » vi namque officii sui, dispersos in unum colligent eorum corporum cineres, quorum ipsi custodes destinati fuere.

**2.** — *Dicunt montibus et petris, inquit S. Joannes in Apocalypsi, vi, 16, cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam veniet dies magnus irae ipsorum, et quis poterit stare ?* Sed dicit aliquis quomodo se in cavernis terrae abscondendos sperare poterunt, quando oculi Dei non solum secretissima antrorum latibula, verum etiam abstrusissima cordium secreta penetrare noscuntur ? S. Thomas ait : « Dicunt « *montibus, id est, Angelis per gloriam excelsis, et « petris, scilicet iisdem in Deo jam prorsus solidis ;* « *cadite super nos, afflictionem, id est, animam com- « patientem nobis, misericorditer inflatet super « nos, et abscondite, oratione, nos a facie, id est, « praesentia sedentis super thronum ;* » at frustraneus

ille erit recursus ; tunc enim Angeli implacabiles nostri erunt accusatores, nostram nobis exprobraturi in responsis eorum consiliis et auxiliis, saluti nostrae subministratis, negligentiam et auxilium, salutem unde S. Chrysostomus ait : « Omnes Angeli erunt « eum ipso testantes, quot, quantaque ministerio « suo, cum a Domino mitterentur, ad salutem « peracta sunt, et ita horroris undique dies ille « plenus futurus est. »

## Cum tuba.

**3.** — Hujus in extremo iudicio sonituae tubae testimonium nobis perhibet, a Sancto Spiritu directa Ecclesia, dum in defunctorum Missa cantat : « Tuba « mirum spargens sonum, per sepulchra regionum, « coeget omnes ante thronum ; » in duobus quoque locis Apostolus ait : *In novissima tuba ; canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti ;* et ad Thessalonicenses : *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Juxta Dionysium Carthusianum tuba haec juxta litteram minime accipienda est : « Nec enim tuba haec, » inquit, « corporaliter intelligenda est, secundum « Remigium. » Salmeron quoque ait : « Metapho- « rice quibusdam videtur dictum, non erit aenea, « vel cornea, vel argentea, » juxta illud Apostoli ad Thessalonicenses : *In jussu, et in tuba ;* existimat namque per tubam illam, solum intelligendi mandatum divinum ; « Pro praeepto Christi, » id quod et Carthusianus, in epistolam ad Corinthios scribens, confirmat, dum ait : « Per tubam intelligitur « imperium Dei, cuius nutu resurrectio fiet. »

**4.** — Alii sacri Doctores per hoc instrumentum vocem Dei intelligunt ; sic S. Anselmus ait : « Tubae « autem nomine, aliquid evidentissimum et praee- « clarissimum signum vult Apostolus intelligi, « quam vocem Archangeli et tubam Dei, alio loco « dicit ; quae et vox Filii Dei in Evangelio dicitur. » S. Thomas quoque textum illum S. Joannis, v, 13, citat : *Audient vocem Filii Dei ; qui audierint, vivent.* Idem et S. Anselmus confirmans, ait : « Itaque « elangor tubae vocis indicat magnitudinem, » ad eum modum, qui in *Isaia, lxvii, 1, dicitur : Quasi tuba exaltis vocem tuam ;* denique Cajetanus, in Epistolam ad Thessalonicenses, eandem sustinet opinionem.

**5.** — Salmeron vere sonum aliquem tunc audiendum esse censet, dicens : « Tuba, praeter jussum et « vocem Archangeli, videtur externorum aliquid « signum, vehemens et horribile significare ; » scripsit S. Anselmus, dum ait : « *In tuba, id est, in « aliquo sono magno et publico divinitus facto, « haec tuba omnes excitabit ;* » et Albertus Magnus, in *Matth.*, dicit : « *Cum tuba, id est, mundi fra- « goro.* »

**6.** — S. Anselmus ad illa Christi verba : *Cum*

*facis elemosynam, noli tuba canere ante te, se inflectens, per hanc tubam universalem, manifestamque corporum resurrectionem intelligit : « Apertam « omnium resurrectionem, » S. Thomas ait : « Tuba est praesentia Christi, manifesta mundo. »*

**7.** — Idem Angelicus Doctor, varia considerat hujus instrumenti officia, serviebat enim ad invocandam populi congregationem ; unde *Num., x, 2, dicitur : Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem ;* et ideo de hoc quoque sono constat, per illum omnes ad iudicium supremi iudicis convocandos esse : « Tuba mirum « spargens sonum, coeget omnes ante thronum ; » unde et Cajetanus ait : « Publicum conventum « lotius humani generis appellat tubam. »

**8.** — Serviebat quoque ad festorum solemnitatem, unde *Psal., lxxx, 4, dicitur : Buccinate in Neomenia tuba, in insigne die solemnitatis vestrae ;* et ideo haec tuba quoque ad Festum nos invitabit, quod nullum habiturum est finem ; *Isaiae, xxxiii, 20 : Respice, Sion, civitatem solemnitatis tuae.* « Haec « tuba, » inquit S. Anselmus, « convocabit ad « solemnitatem aeternae laetitiae. »

**9.** — Tubae item serviunt bellis et praehis, quod etiam valet, in praesenti tuba, quia haec resonante, pugnat pro eo orbis terrarum contra insensatos ; *armabit creaturam ad ultionem inimicorum.*

**10.** — Idem quoque S. Anselmus ait : « Haec « tuba inimicos terrebunt. » Hugo Cardinalis ait : « In tuba, quasi ad bellum veniet, » item Dionysius Carthusianus inquit : « Terribiliter imperabit resur- « rectionem mortuorum, » et ut dicit Hieronymus, « sic canet, quod totus mundus tinniet. » S. Thomas notat, quod ad tubae sonum moveantur exercitus, tam is, qui victor futurus erit, quam qui succumbet : « Sic in resurrectione, quidam eundo ad « Paradisum, quidam eundo ad infernum. »

**11.** — S. Anselmus in S. Matthaeum ad praedictum tubarum in bellis usitatum sonum alludens : « Vox illa tubae comparatur, quia sicut tuba terret « inimicos et animat suos, sic vox illa terrebunt « impios et laetificabit justos. »

## Voce magna.

**12.** — Albertus Magnus per vocem hanc magnam, praeeptum Dei intelligit : « In voce magna, » inquit, « quae est jussus Dei, quod vivat et surgant « mortui, et veniat ad iudicium, » unde tria ad universalem omnium corporum resurrectionem concurrere considerat : « Fragar mundi in restitutione « materia ; ministerium Angelorum in composi- « tione pulverum et corporum ; et jussus sive vox « Dei et Christi in vivificatione et citatione. »

**13.** — Dionysius Carthusianus per hanc vocem S. Michaelis Archangeli, supremi caelestis militiae principis vocem intelligit : « Voce magna Michaelis « Archangeli, qui est Princeps et custos Ecclesiae,

« dicetque in die illa iudicii ex commissione divina :  
« Surgite mortui, et venite ad iudicium. »

**14.** — Chrysostomus, ab Hugone Cardinali citatus, sonoritate vocis hujus, quam hæc vox sonora futura sit ex effectibus, quos producet, clare deducit : « Vere, » inquit, « magna vox tube terribilis, » cui obediunt omnia elementa, qua petras scindit, « inferos aperit, portas aereas conerit, vincula « mortis dirumpit, et de profundo abyssi animas « liberatas corporibus suis assignat. » Demum vero ad illum Apostoli textum, in quo Corinthiis exponit, cum quanta velocitate idipsum facturus sit, alludens, subjungit : « Hæc omnia citius consummet « in opere, quam sagitta transit in aere, dicente « Apostolo : *In momento, in ictu oculi.* In illa voce « mare disculitur, ut si quid apud se retinet de « humanis ossibus, sine contradictione restitnat. »

**15.** — Lyranus vocem hæc a Iudice edendam fore existimat, quando omnes mortuos ad tribunal suum evocabit : « Sicut in datione Legis auditus est « sonus terribilis, ut habetur Exodi, xix, ita audietur « tur tunc sonitus consimilis virtute Angelorum « factus in elementis; et voce magna, vox illa erit « vox Christi vocantis mortuos ad iudicium, ex « cujus virtute suscitabuntur. »

*Et congregabunt electos a quatuor ventis, a summis colorum, etc.*

**16.** — Idem Lyranus per hæc verba non excludi notat, quin etiam coram eodem Iudice, eodemque tempore advocandi et congregandi quoque sint reprobi : « Licet omnes adducantur ad iudicium, « tamen specialiter electi adducantur ministerio « sanctorum Angelorum, quia erunt concives « eorum. »

**17.** — Per hos quatuor ventos, quatuor mundi partes intelliguntur. Estque hæc expositio Cajetani, dicentis : « Nominat quatuor mundi partes, a summis colorum usque ad terminos eorum, non « solum ab hac superficie orbis terrarum quam « inhabitamus, sed etiam ab extremis, usque ad « extrema colorum. » Paulus de Palatio ait : « Nihil « est aliud quam colligi ex omni dispersione terræ, « et colligi ex caelis ex omni dispersione aeris, in « quem nulla Sanctorum corpora fuerint con- « versa. »

#### VERSUS 32.

*Ab arbore autem fici discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas.*

**1.** — D. Chrysostomus ab Hugone Cardinali adductus interrogat, cur Salvator noster potius in medium adduxerit exemplum ficus, quam alterius cujuspiam plantæ vel arboris? Et respondet : « Quia « pene post omnes arbores vernat, et difficile « frigus post frigus vernantem invenit. »

**2.** — S. Anselmus in sensu mystico per hæc arborem Synagogam intelligit : « Ficus, » inquit, « populum Israel designat, qui fuit sicut ficus « damnata, et pro sterilitate maledicta et arefacta, « sed cum de arido ligno ramus quidam fidei et « charitatis in eo apparuerit, et folia, id est, verba « prædicationis exorta fuerint, prope est æstas, « quæ expectatur, id est, æterna serenitas; » Infallibilis enim est a Deo facta promissio, Hebræos tandem in fine sæculorum ad veri Dei notitiam et fidem reducendos esse, et hoc iudicii universalis appropinquantis certam quoddam iudicium futurum erit. « Cum enim tandem sublata perfidia « mentis Israel salvus fiet, prope esse diem iudicii, « dubium non est. » S. Hilarius per hujus maledictæ arboris ramum Antichristum intelligendum esse dicit : « Ramus ficus Antichristus esse intelli- « gitur, Zabuli filius, peccati portio, Legis assertor « qui cum tenerescere cœperit, atque frondescere, « tunc proxima est æstas, id est, dies iudicii sen- « tietur. » S. Thomas eandem affert expositionem : « Per ficam, » inquit, « signatur Synagoga, » idque probat per parabolam illam Lucæ, cap. xiii, de eo, qui habebat ficum, quæ cum post elapsum solidum triennium, nullum prorsus fructum attulerat, etc. « *Cum jam ramus ejus tener fuerit,* hoc « potest exponi sic : Ramus tener Antichristus est, « cujus potestas parum durabit, et ficus folia nul- « tum adherent ei, et tunc potestas ejus manifes- « tabitur; vel potest exponi in bono; per ramum, « virtus et fortitudo Sanctorum, qui quando Eccle- « sia incipiat finire, virtus Christi et Sanctorum « apparebit, qui sustinebunt eam. *Cont.*, II, 13 : « *Ficus protulit grossos suos.* »

**3.** — Auctor Imperfecti etiam in sensu spirituali per hæc arborem Ecclesiam intelligit; cujus hæc reddit rationem, *Hom. XI* : « Ideo, » inquit, « ficus « Ecclesie similator, quia sicut ficus sub uno cortice « plurima grana inter viscera dulcedinis inclusa « constringit, sic Ecclesia sub uno corpore multos « Christianos, intra viscera charitatis suæ congre- « gatos, complectitur. » Eiusdem quoque similitudinis aliam subjungit a duratione fructuum petitam, ficus enim fructus diutius durat quam aliarum arborum fructus : « Omnis arbor pene in uno « tempore præbet, nam intra paucos dies et matu- « rescunt et cadunt, ficus autem ex quo cœperit « fructus afferre, usque ad hiemem fructificare « non cessat, nam alii colliguntur maturi et alii « hinc præcedunt; sic Ecclesia ex quo cœperit « Sanctos offerre, usque ad finem sæculi non « cessabit. »

**4.** — Paulus de Palatio ex his verbis occasionem sumit prædicandi, tunc Ecclesie finem imminere, quando Prælati ipsius otio, deliciis et voluptatibus dediti esse cœperint, omnem fugientes laborem et vigilantiam : « Cum Ecclesia nostra Prælatos suos

« et Principes teneros habuerit, et delicatos, cum « plena habuerit folia, id est, verba multa et « eruditorem multam, sed sine fructu, prope est « æstas iudicii; in primitiva Ecclesia erant Episcopi « ad labores durati minimeque teneri. »

#### ADDITIO.

**a.** — *Ab arbore autem fici discite parabolam.* Postquam Christus recensuit prævias tremendo iudicio calamitates, hæc similitudine exponit, quam timenda sit impiis mundialis felicitas, cum gratius aridet. Ad quæ verba Evangelistæ, ita opportune scribit S. Gregorius, *Hom. in Evangelio* : « Sicut ex « fructu arboris vicina æstas colligitur, ita ex ruina « mundi prope cognoscitur regnum Dei. Et ex hoc « ostenditur, quia fructus mundi ruina est, ad hoc « enim germinat, ut quæcumque germine aluit, « eladibus consumat. » Nimirum cum Deus tibi indalgeret felicitatem promittit, o peccator, campi tibi vernant, fores antumant et florida mundi gratia spe cumulatis impleris; scito quod ex fructu et flore arboris agnosceitur vicina æstas, quæ fructus avidè torreat. Et ex hoc ostenditur quia « fructus mundi ruina est. » Profecto sublimis mundaforum prosperitas in hac vita, et peccatorum impunitas, ruinarum minæ, et infallibile Dei contra illos indignantis iudicium. S. Hieronymus, postquam in Epistola quadam ostendisset, hunc Dei morem esse, quod servos suos fideles in hac vita per persecutiones et adversitates exerceat et pessime tractet, licet in continua innocencia Christiana sanctissime vivant, tandem subjungit : « Et « tu beatos putas, qui felicitate istius sæculi et « deliciis perfruuntur? » Et paulo post confirmans ea, quæ super textum Ezechielis dixerat, subjungit : « Magna ira est, quando peccantibus non irascitur « Deus; unde et in Ezechiele ad Jerusalem : *Jam,* « inquit, *non irascor tibi; zelus meus recessit a te.* »

Audiamus S. Isidorum Pelusiotem dicentem : « De- « linquentes, heus tu, et in hac vita castigati, « deplorandi non sunt, sed qui impuniti abeunt; « ut enim non tam molestum est ægrotare, quam « morbo medelam non afferri; ac neque putrescens « ulcus lamentis sit dignum, sed potius remedium, « a medico non adhiberi. Qui enim secatur, uritur, « que, ad curationem præparat, dolorum percepti- « rus medelam. Idem animis usvenire existiman- « dum est. Quæ enim hic pœnæ, suppliciaque « tolerantur ad salutem traducunt. At impune qui « ferunt, ii fere mali sui sensum amittunt. »

#### VERSUS 33.

*Ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.*

**1.** — Lucas Brugensis dicit : « His verbis Aposto- « los alloquitur » nimirum generosum illis animum

suggerere voluit, dicendo corporum suorum gloriosam resurrectionem in propinquo esse : « Usus « loquendi est, ut in foribus esse dicitur, quod « proximum est; supple ex Luca : *Regnum Dei seu, « redemptio vestra;* tam certo et tam brevi conse- « quetur hæc regnum Dei, quam certo et quam « brevi consequitur æstas germinationem arbo- « rum; » prosequitur denique idem auctor probare benignissimi Salvatoris mentem esse, ut tantis propositis tremendis signis, suos a tremore eximat animumque addat : « Potius bono animo sint, » inquit, « eo quod signa certa videant vicinæ salutis, « beatitudinisque suæ. »

#### VERSUS 34.

*Amen dico vobis : quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.*

**1.** — Cajetanus inquit : « Tum electorum, tum « hominum. » Jansenius vero ait : « Obscurum est, « quid per generationem hæc Dominus hic signi- « ficare voluerit; » quo fine varias adducit sacrorum Interpretum expositiones. S. Hieronymus vel totum genus humanum, vel certe populum Judaicum designari existimat, maxime quia Christus hujusmodi similitudinibus, de Hebraismo tractans, uti consueverat, *Matth.*, xxiii, 36 : *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* D. Chrysostomus per hæc generationem iustorum electorumque congregationem signari arbitratur, Christumque illa verba ad animandos Apostolos dixisse, ne detererentur; « idque ideo, » ait, « de ea dictum « ne metuerent Apostoli, per prædicta pericula « penitus fideles delendos et prædicationem Evan- « gelii supprimendam, sed certiores essent, religio- « nem Christianam usque ad sæculi consummatio- « nem et novissimum Domini adventum persevera- « turam; » Lucas Brugensis ait : « *Generatio hæc, id « est, hæc ætas et hoc hominum in me credentium « genus,* » quomodo Psalmista *Psal.* xxiii, 6, ait : *Hæc est generatio quærentium Dominum;* ac tandem concludit : « Nullæ aliæ sunt interpretationes, sed « has duas ita probò præ cæteris, ut etiam conjun- « gendas arbitrer, ad perfectum loci sensum, » cum enim hæc ætas ultima mundi sit; post legem enim Evangelicam alia non erit; unde S. Joannes ait : *Novissima hora est;* merito futurum dicebat, omnia adimplenda, priusquam hæc lex terminaretur : « Prius fient hæc omnia, quam homines omnes « hujus generationis moriantur aut esse desinant. »

#### VERSUS 35.

*Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

**1.** — Verba hæc non ita intelligenda sunt, ut notat Lyranus, quasi cælum et terra quoad substan-

tiam suam destituta sint : « Sed quia cessabit motus  
« cœli, et transmutatio in elementis, ista enim ordi-  
« nata sunt ad complendum numerum electorum,  
« ideo ipso completo in iudicio cessabunt; » cur  
vero verbum Dei non sit interituum, idem Auctor  
hanc reddit rationem : « Per verbum enim Christi  
« est mundus; et ideo verbum ejus est ipso mundo  
« stabilius; » S. Thomas ait : « Non dicitur, quod  
« transeant, quia esse desinant, sed quia transibunt  
« in alium statum, » quo modo in Apocalypsi, xx,  
1, dicitur : *Vidi cœlum novum et terram novam*;  
Cajetanus pariter ait : « *Transibunt*, non secundum  
« substantiam, sed secundum statum, nam a statu  
« motus generationis et hujusmodi, transeunt ad  
« statum quietis. »

2. — Auctor Imperfecti hanc inde eruit morali-  
tatem : « Cœlum et terra vanitati subjecta sunt,  
« dicente Apostolo : *Vanitati enim creatura subjecta*

« est, naturaliter autem veritas nescit mentiri, nec  
« potest aliquando perire; » ac proinde firma nobis  
spes concipienda est, æternæque veritati inmiten-  
dum, quo non potest deficere : *Ipsi peribunt, tu  
autem permanes.*

3. — Jansenius in hæc verba ait : « Sensus est :  
« Verba mea non erunt inania, ut non eveniat,  
« quod illa prædicunt, quemadmodum hominum  
« verba, quibus aliquid prædicunt et promittunt  
« frequenter inveniuntur inania, sive per mendaci-  
« tatem et mutationem loquentis, sive quod aliud  
« quid externum impediatur prædictorum eventuum  
« aut promissionis adimpletionem; bene ergo sum-  
« mam valens verborum suorum significare volun-  
« tatem, comparat ea cum cœlo et terra, præferens  
« ea his, eo quod omnium, quæ in mundo sunt,  
« hæc maxime sint firma et immobilia. »

## FINIS TOMI POSTERIORIS

## INDEX EVANGELIORUM

## TOMI SECUNDI

Festum Resurrectionis. <i>Maria Magdalena et Maria Jacobi.</i> Marc., xvi, 1. . . . .	4
Dominica in Albis. <i>Cum sero esset die illo.</i> Joan., xx, 19. . . . .	13
Dominica II post Pascha. <i>Ego sum pastor bonus.</i> Joan., x, 11. . . . .	38
Dominica III post Pascha. <i>Modicum et jam non videbitis me.</i> Joan., xvi, 16. . . . .	59
Dominica IV post Pascha. <i>Vado ad eum qui misit me.</i> Joan., xvi, 5. . . . .	80
Dominica V post Pascha. <i>Amen, amen dico vobis : si quid peteritis.</i> Joan., xvi, 23. . . . .	104
Dominica infra octavam Ascens. <i>Cum venerit Paracletus.</i> Joan., xv, 26. . . . .	123
Festum Pentecostes. <i>Si quis diligit me, sermonem meum servabit.</i> Joan., xiv, 23. . . . .	140
Dominica I post Pentecosten. <i>Estote misericordes sicut et Pater vester.</i> Luc., vi, 36. . . . .	154
Dominica II post Pentecosten. <i>Homo quidam fecit cenam magnam.</i> Luc., xiv, 16. . . . .	177
Dominica III post Pentecosten. <i>Erant appropinquantes ei Publicani.</i> Luc., xv, 1. . . . .	203
Dominica IV post Pentecosten. <i>Cum turbæ irruerent in eum.</i> Luc., v, 1. . . . .	236
Dominica V post Pentecosten. <i>Dico enim vobis quia nisi abundaverit justitia.</i> Matth., v, 20. . . . .	251
Dominica VI post Pentecosten. <i>Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent.</i> Marc., viii, 1. . . . .	273
Dominica VII post Pentecosten. <i>Attendite a falsis Prophetis.</i> Matth., vii, 15. . . . .	294
Dominica VIII post Pentecosten. <i>Homo quidam erat dives.</i> Luc., xvi, 1. . . . .	316
Dominica IX post Pentecosten. <i>Ut appropinquavit, videns civitatem.</i> Luc., xix, 41. . . . .	342
Dominica X post Pentecosten. <i>Dixit ad quosdam qui in se confidebant.</i> Luc., xviii, 9. . . . .	364
Dominica XI post Pentecosten. <i>Eziens de finibus Tyri.</i> Marc., vii, 31. . . . .	389
Dominica XII post Pentecosten. <i>Beati oculi qui vident.</i> Luc., x, 23. . . . .	411
Dominica XIII post Pentecosten. <i>Dum iret in Jerusalem.</i> Luc., xvi, 41. . . . .	440
Dominica XIV post Pentecosten. <i>Nemo potest duobus dominis servire.</i> Matth., vi, 24. . . . .	463
Dominica XV post Pentecosten. <i>Ibat in civitatem quæ vocatur Naim.</i> Luc., vii, 11. . . . .	492
Dominica XVI post Pentecosten. <i>Cum intraret Jesus in domum.</i> Luc., xiv, 1. . . . .	516
Dominica XVII post Pentecosten. <i>Interrogavit eum unus ex eis.</i> Matth., xxii, 35. . . . .	541
Dominica XVIII post Pentecosten. <i>Ascendens in naviculam transfretavit.</i> Matth., ix, 1. . . . .	566
Dominica XIX post Pentecosten. <i>Simile factum est regnum cœlorum homini regi.</i> Matth., xxii, 2. . . . .	591
Dominica XX post Pentecosten. <i>Erat quidam regulus.</i> Joan., iv, 16. . . . .	619
Dominica XXI post Pentecosten. <i>Assimilatum est regnum cœlorum homini.</i> Matth., xviii, 23. . . . .	644
Dominica XXII post Pentecosten. <i>Abeuntis Pharisei.</i> Matth., xxii, 15. . . . .	671
Dominica XXIII post Pentecosten. <i>Hæc illo loquente ad eos.</i> Matth., ix, 18. . . . .	696
Dominica XXIV post Pentecosten. <i>Cum videritis abominationem.</i> Matth., xxiv, 15. . . . .	723